

968. De Mendicantibus sentiebat, ut *Guilelmus de S. Amore*, hinc reprehensus a *Jobanne XXII.* ad quem delatus erat, docuisse: Pastores habere potestatem immediate a Deo, et Constitutionem *Benedicti XI. Inter cunctos* &c. de Privilegiis Mendicantium non esse Juris interpretationem aut declarationem, sed subversionem. Plura vide, si lubet, apud doctis. *Launoium* ad Can. *Omnis utriusque Sexus* &c. *Opp.* T. I. c. 5. p. 270. *Foll.* 33.

DLI.

⁴⁷¹ Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 159. 4. diversa Opuscula diversis manibus exarata complectitur hoc ordine: I. *Aureum speculum de titulis beneficiorum ecclesiasticorum.* Ita praevie et in calce. In Editione vero *Eduardi Brown Append. ad Fascic. Rer. Expetend. et Fugiend. Lond. 1690. p. 63. f. Aureum Speculum Papae, ejus Curiae, Praelatorum et aliorum Spiritualium.* Dialogo inter *Petrum* et *Paulum* conscriptum Opusculum *Traetatibus III. in Capita* tributis constans ita incipit: *Reuerendissimis in christo patribus et dominis dominis Sacrosanctae Romanae ac vniuersalis ecclesiae Cardinalibus — P. minimus et utinam inter veros discipulos Ihesu christi planctum pro affectu et dolorem. Heu corde anxius qua voce intonare ipse debeam quis scribendi stilus quisve modus eloquencie expli-*

care sufficiat, in cor hominis non ascendit tantam pestem &c. Jam ex his adparet *Brownii* Exemplum nostro collatum variare, quod liquidius fit per decursum. Ita mox ille *Papa* pro *Ipsa* (scil. Curia) *intus murmurant* pro *de hoc murmurant* legit. *Traet. I. c. 2.* Archiepiscopus, quem ille divinare nequit, *Bituricensis* est. *Traet. II. c. 1.* pro *etsi iniustas*, ubi aqua ei haefit, reponere *Summas.* Scriptum cetera solidum et acre in Abusus ecclesiasticos sic terminatur: *Audax manus ad calamum supra vires scribentis* (Brown scribens) *arripuit negotium. Anno currente natiuitatis eiusdem domini Millesimo CCCC^o 4^o.* *Et eodem Domino tunc dirigente sic compleuit* (Br. compleverit) *consulens toto desiderio obviandum malis vniuersis pro ecclesie concilio generali &c.* Ubi pro redundare videtur. Vides Nostrum in eorum numero, qui Conuentum generalem Ecclesiae exoptabant, tandem *Constantiam* anno 1414. indictum. An sub littera P. lateat *Petrus de Alliaco*, an *Job. Gerson*, an reuera *Paulus* quidam Anglicus, adfirmare non audeo. Confer *Cod. praeced.*

II. *fol. 49. Traetatus*, ut in praefixo *Codici Elencho* notatur, *contra Communionem Calicis.* Constat VIII. *Capitibus* et incipit: *Spiritus manifeste dicit quoniam in nouissimis temporibus discedent quidam a fide &c.* Finit vero: *me conseruare dignetur in ipsa fide catholica per quam possim cum omnibus*

nibus fidelibus ad uitam eternam finaliter peruenire. Adiuuante Domino nostro &c. In Bohemia scriptum et fortassis ad *Andr. de Broda*, *Steph. Palecz*, aut *Maurit. de Praga* pertinere arguit etiam illud, quod C. 2. legas: *Tales sunt multe ecclesie uel metropolitane — ut ecclesia pragensis, ecclesia Olomucen. ecclesia Maguntinen. &c. uel parciales — sicut ecclesia Nimburgen. ecclesia luthomyericen. ecclesia boleslavian. &c.* Item Nota marginis: *Contra illos qui libros Wicleff autenticant.*

III. fol. 72. p. 2. Sequitur tractatulus de ueneratione sanctorum ymaginum. Initium: *Cum nonnulli impij homines ymagine christi et beate uirginis et aliorum sanctorum non solum negant esse uenerandas &c. Sex Capitibus constat tota Tractatio non exiguo ueterum Scriptorum, uti praecedens, adparatu fulta, ut adeo ejusdem Autoris esse putem. Wicleffum impugnari rursus e Nota C. 3. patet. Extrema sunt: Honorando igitur filios dei ipsum dominum deum honoramus, qui est benedictus &c.*

IV. fol. 84. Tractatus ἀκεφάλος pro Communionem sub utraque Specie, qui ab his uerbis orditur: *dicit Augustinus ubi supra. Et si necesse est illud (Sacramentum) uisibiliter celebrari, inuisibiliter tamen intelligi oportet. Vnde secundum Gorram et Iram &c.* Et finit: *credi debet quod secundum ewangelicum preceptum fidelis communitas plebium*

debet sumere spiritualiter et sacramentaliter corpus christi sub forma panis et sanguinem sub forma uini. Jacobellum seu Jacobum de Misa referre mihi uidetur, quamvis inter Ejus Scripta in Actis Conc. Constant apud Herm. v. d. Hardt non inueni. Dubium tolleret Subscriptio, nisi eam male feriat. Quidam ad ultimum apicem atramento obliterasset. Adhaerent Loci Patrum de Caritate, Autoritate Ecclesiae, Fide &c. Item Nouem uicia ex ludo taxillorum uenientia. Adiectae hinc inde uoces quaedam Bohemicae.

V. fol. 91. Incipit liber S. Augustini episcopi de uita christiana. Sic: *Ego Augustinus primus peccator et ultimus insipientior ceteris &c. Habetur Augustini nomine ex officina Job. Faust et Pet. Schöffler sub ipsa Artis primordia s. a. 4. sed est Fastidii Britonis a Gennadio primum memorati c. 56. et a Tritemio dicti Episcopi n. 129. atque ad an. 420. locati. Adi T. VI. Opp. Augustini Paris. 1685. Adpend. col. 183. ubi Admonitio praeuia Fastidium cum Pelagio sensisse adlatis exemplis docet. Negat Tannerus in Bibl. Brit. Hib. p. 274. solo fortasse nixus Gennadio, qui Fastidium sana et Deo digna scripsisse adfirmat; sed nempe Gennadium ipsum suspicionem Pelagianismi laborare, nemo E-ruditorum ignorat.*

VI. fol. 103. Excerpta Homiletica e Patribus et Conciliis nullo materiarum ordine.

VII. fol. 125. *Notabilia utilia reperta ex Aristotelis doctrinis per Johannem filium Patricij linguarum interpretatorem. Alias Secreta Secretorum Aristotelis ad Alexandrum M. edita jam Sec. XV. f. l. et a. 4. etiam gallice, item ab Alex. Achillino in Opere Septisegmentato, Venet. 1516. f. et ibidem a Franc. Storella 1555. 8. Congeries Monitorum e Physica, Astronomia, Medica, Politicisque depromptorum Arabis cujusdam, ut videtur, qui Opusculo suo famam ab illustri Nomine quaesierit. De aetate ejus inde conjectes, quod jam Sec. XIII. ab Alberto M. in Tract. de Animalib. ut Aristotelicum citetur, quam opinionem primi convulsi dicuntur uterque Picus. Vide Storellae Praef. ad Edit. mox cit. cui etiam insertum Praefamen interpretis Johannis, quod nobis incipit: *Non reliqui locum nec templum, in quibus philosophi consueverunt componere et deponere sua opera &c.* Cumque in Storellae exemplo dicat se primo de graeca in romanam deinde in arabicam linguam Secreta haec in Oraculo Solis ab Aesculapio constructo reperta transtulisse, nostrum habet: *de greca lingua in caldaicam et de hac in arabicam &c.* Meminit Storella praeterea alterius Secreti Secretorum Aristot. Ticinii, ut ait, impressi, et a Nostro non parum diversi, quam Editionem mihi videre non contigit, quamvis Ms. viderim Philippum Presb. Tripolensem interpretem ex Ara-*

bico memorans. Codices mss. Noftri enumerat aliquot Fabricius *Bibl. gr. L. III. c. 6. n. 7. p. 167.*

VIII. fol. 134. p. 2. *Incipit tractatus de Planetis. Nugae Astrologicae, quae inchoant: Saturnus qui superior est omnibus Planetis &c.*

IX. fol. 135. p. 2. *Incipit de Pomo Liber Aristotelis. Excerpta tantummodo ex Tractatu suppositio, qui ab Abrahamo Ben Chasdai Levita Sec. XII. inclinante ex Arabico in Hebraicum titulo ס' התפוח traductus pluries lucem vidit, redditus latine a J. Justo Losio, editusque Giesfue 1706. 4. quamvis in hanc linguam versus a Manfredo Principe Tarentino Friderici II. Spurio a Carolo Andegav. a. 1266. in praelio occiso jam legatur edit. *Opp. Aristotelis Venet. per Greg. de Gregoriis. 1496. p. 370. f.* Ita saltem ibi Praefatio: *Nos Manfredus — de Hebraea lingua transtulimus in latinam. Res haec Ant. Mongitorem T. II. Bibl. Sic. p. 29. latuisse videtur. Vide cetera apud Fabric. Bibl. gr. L. III. c. 6. p. 166. et Wolf. Bibl. Hebr. T. I. p. 57.**

X. fol. 137. p. 2. *Tractatus Ippocratis. Ad calcem additur: de egritudinibus cognoscendis per astronomiam. Rursus Excerpta potius Libelli subposititii illius fortasse, qui interprete Petro de Abano seu Apono prodiit Venet. 1485. 4. inscriptus de Medicorum Astrologia. Initium: *Dicit vero Ippocrates. nota de medicis qui**

2101

P O L E M I C I.

2102

qui astronomiam ignorant ne aliquis mittat se in manus illius &c.

XI. fol. 150. Schemata picturata *Eclipsium Solarium et Lunarium* ab Anno 1424. ad Annum 1462. subjectis earum Mensibus, Diebus, Dierum Horis et Duratione, quae parum variant a *Chronologia Eclipsium* exhibita in *Art de verifier les Dates* &c.

DLII.

563 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 221: 4. probe scriptus, et rubricis distinctus continet, ut notatum coeva manu in Operculo, *Diuerfos tractatus Magistri Matthiae Parisien.* de quo Viro *Bobemo* diximus ad *Cod. CCXVI.* et alias. *Tractatus prioris*, de quo *Cod. CCCCXXXV.* Lectori detulimus arbitrium, an non *Job. Husso* potius tribuendus sit, Prooemium incipit: *Ecce ex deo et coram deo loquimur non quasi hominibus placentes sed deo &c.* In hoc Prooemio Institutum Operis sui ita declarat Autor: *Tenor autem et distinctio huius libri erit talis, nam continet 5. libros parciales quorum primus est principaliter de communicatione in dei ecclesia corporis et sanguinis domini nostri ihesu christi in sacramento, similiter et de distinctione spirituum principaliter in doctoribus et in prophetis, illic enim principaliter et solum illum primum intendebam sub breuitate scripsisse, debinc pius ihesus mibi dilatauit, et apperrens hostium me*
Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

repleuit suis copiis ut duos libros post puta secundum et tercium scripserim de iudicio et discretione verorum et falsorum christiano-rum et primum pseudo prophetarum et doctorum, et debinc alios duos libros. s. quartum et quintum solum et simpliciter de communicatione in christi ihesu ecclesia defici et supertremendi veri corporis et sanguinis ihesu christi. Et intitulaui istum librum regularum aut de regulis veteris et noui testamenti &c. quo titulo etiam in *Bibl. Capituli Metrop. Prag.* Exemplar extat. Pergit vero Autor opus suum ulterius in *Regulas et Distinctiones* partiri. Digna porro lectu sunt, quae de suo in Sacras Literas, quibus unice se inniti profitetur, incredibili amore praefatur. Prooemio subnexus est *Rerum Index* alphabeticus. Tum Opus ita inchoat: *Karissimi Nolite omni spiritui credere sed probate spiritus &c.* Per decursum in exaggerandis Cleri vitiis paene modum excedit. Communionem eucharisticam Fidelium etiam Laicorum quotidianam omnibus rationibus urget, eamque sub utraque Specie, de quo quidam dubitare vifi. Verum audiant *Noftrum fol. 28. p. 1.* *Ex hijs luculenter infertur primum, quod manducatio et potatio nostri huius sacrificij dulcissimi et pleni dei suauis spiritu debet esse communis et omnium et per consequens et plebeiorum et non tantum sacerdotum.* Unde si a *Matthia* potius, quam ab *Husso* stemus, inferri possit primum: credibile